In Nomine Sacrosanctæ Trinitatis, Patris, Filii, & Spiritûs Sancti.

NOtum sit universis: Cùm almâ Pace per Summi Numinis Benignitatem feliciter instauratâ Rastadii sextâ die nuper præteriti mensis Martii inter Serenissimum, & Potentissimum Principem, ac Dominum, Dominum CAROLUM SEXTUM Electum

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

Romanorum Imperatorem, ſemper Auguſtum, ac Regem Germaniæ, Caſtellæ, Arragoniæ, Legionis, utriusque Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, Navarræ, Granatæ, Toleti, Valentiæ, Galliciæ, Majoricarum, Seviliæ, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Giennis, Algarbiæ, Algeziræ, Gibraltaris, Inſularum Canariæ, & Indiarum; ac Terræ firmæ, Maris Oceani, Archi-Ducem Auſtriæ, Ducem Burgundiæ, Brabantiæ, Mediolani, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Geldriæ, Wirtembergæ, Superioris & Inferioris Sileſiæ, Calabriæ;

Athe-

Athenarum, & Neopatriæ, Principem Sueviæ, Catalauniæ, & Asturiæ, Marchionem Sacri Romani Imperii, Burgoviæ, Moraviæ, Superioris & Inferioris Lusatiæ, Comitem Habsspurgi, Flandriæ, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi, Goritiæ, & Arhesiæ, Marchionem Oristani, Comitem Goziani, Namurci, Rossilionis, & Ceritaniæ, Dominum Marchiæ Sclavonicæ, Portus Naonis, Biscajæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, & Mechliniæ, &c. &c. ac Sacrum Romanum Imperium ab una, & Serenissimum ac Potentissimum Principem ac Dominum Dominum LUDOVICUM XIV. Franciæ & Navarræ Regem Chri-

ſtianiſſimum ab altera parte convenerit, ut quæ illic operis tam ſalutaris magis accelerandi gratiâ vel citra omnem, quæ obſervari debuiſſet, ſolemnitatem acta, vel in aliud tempus dilata fuerunt, aliásve addenda eſſent, novo, ſolemniore, & generaliore in Helvetiæ partibus inſtituendo congreſſu recepto more perficerentur, id nunc divino rurſus adſpirante favore completum eſſe. Comparentes quippe Badæ Ergoviæ, loco utrinque delecto Legati Extraordinarii & Plenipotentiarii nomine Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Sacri Romani Imperii Celſiſſimus Princeps ac Dominus Eugenius Sabaudiæ & Pedemontium Princeps, aurei velleris Eques, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius ſtatûs intimus, Conſilii Aulico-Bellici Præſes, Locum-tenens Generalis, ac Sacri Romani Imperii Campi Mareſchallus, nec non Illu-

ſtriſſi-

ſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini, Dominus Petrus Comes de Goes in Carlsberg Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, ſtatus Camerarius & Carinthiæ ſupremus Capitaneus Provincialis: Et Dominus Joannes Fridericus Comes â Seileren & Aſpang, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius Aulicus, & Cancellariæ Secretioris aulicæ Auſtriacæ Aſſeſſor: Nomine verò Sacræ Regiæ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ, Celſiſſimus & Excellentiſſimus Dominus Ludovicus Hector Dux de Villars, Par, & Mareſchallus Franciæ, Martigii Princeps, Meloduni Vice-Comes, Exercituum Regiorum in Germaniâ Dux, Supremus Regiorum Ordinum, ut & aurei velleris Eques, & in Ditione & Comitatu Provinciæ Gubernator & Locum tenens Generalis; nec non Illuſtriſsimi & Excellentisſimi Domini, Dominus Franciſcus Carolus de Ventimillia ex Comitibus Masſiliæ Comes Du Luc

Mar-

Marchio de la Marthe, pro Rege in Provincia Locum-tenens, Ordinis ſancti Ludovici Commendator, Inſularum de Porquerolles Gubernator, atque Sacræ Regiæ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ ad Helvetos, Rhetos, & Rempublicam Valeſianam Legatus: Et Dominus Dominus de Barberge Eques, Dominus de Saint Conteſt Regi Chriſtianiſſimo â Sanctioribus Conſiliis, Libellorum Supplicum in Aula Regia Magiſter, Reíque Judiciariæ Civilis, & ærariæ, nec non bellicæ per diſtrictus Metenſem, Tullenſem, & Virodunenſem, ut & Regiorum Exercituum in confiniis Campaniæ, & ad Saram Moſſellámque Præfectus, poſt invocatam Cœleſtem opem, & commutatas ritè in calce mandatorum hujus Inſtrumenti deſcriptorum Tabulas mutuas initæ jam Pacis leges confirmârunt, auxerunt, & in ſolemnem formam redegerunt tenore ſequenti.

Articu-

Articulus I.

PAx Christiana Rastad. 6. Martii Currentis conclusa, sit & maneat perpetua ac universalis, concilietque, ac propaget veram amicitiam inter Sacram Cæsaream Majestatem, ejusque Successores totum Sacrum Romanum Imperium, Regna & Ditiones Hæreditarias, Clientes, ac Subditos ab una: & Sacram Regiam Majestatem Christianissimam Ejusque Successores, Clientes & Subditos ab altera parte: eaque ita sincerè servetur & colatur, ut neutra pars in alterius perniciem vel detrimentum sub quolibet colore, quidquam moliatur, aut molientibus, seu quodvis damnum inferre volentibus ullum auxilium quocunque nomine veniat, præstare alteriusve subditos, rebelles, seu refractarios recipere, protegere, aut juvare quâvis ratione possit, aut debeat, sed potius utraque pars alterius utilitatem, honorem ac commodum seriò promoveat, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus, promissionibus, Tractatibus & Fœderibus, quomodocunque factis aut faciendis.

Articulus II.

SIt perpetua utrinque amnestia & oblivio omnium Eorum, quæ ob causam vel occasione præteriti belli, quocunque loco, modove ultro citroque hostiliter facta sunt, ita ut nec eorum nec alius ulterius rei causâ vel prætextu alter alteri quicquam inimicitiæ directè vel indirectè specie Juris aut viâ facti, neque intra neque extra Sacrum Romanum Imperium Regna & Ditiones Sacræ Cæsareæ Majestatis hæreditarias, Regnumque Galliæ inferat,

aut inferri patiatur, ſed omnes & ſingulæ hinc inde verbis, ſcriptis, aut factis illatæ injuriæ & violentiæ absque omni perſonarum rerumve reſpectu ita penitus abolitæ ſint, ut quidquid eo nomine alter adverſus alterum prætendere posſit, perpetua ſit oblivione ſepultum.

Articulus III.

PAcis hujus Baſis & fundamentum ſit Pax Weſtphalica, Neomagenſis & Ryſvvicenſis, hæque ſtatim à commutatis ratificationum formulis in ſacris & profanis pleni executioni mandentur, & inviolabiliter impoſterum ſerventur, niſi quatenus nunc aliter conventum eſt.

Hunc in finem omnia tam quoad mutationes, quæ durante ultimo bello vel ante illud factæ, quàm quæ executioni vel plane non vel imperfectè datæ, vel poſt factam executionem rurſus immutatæ fuêre, ſi quid re ipsâ tale reperiatur, eum in ſtatum in Sacro Romano Imperio Ejusque appertinentiis reponantur, qui per ſupradictum Tractatum Ryſvvicenſem præſcriptus fuit.

Articulus IV.

REſtituet Sacra Regia Majeſtas Chriſtianisſima ſecundum hanc & Pacem Ryſvvicenſem Sacræ Cæſar. Majeſtati & Serenisſimæ Domui Auſtriacæ Briſacum vetus integrum in moderno ſtatu cum Granariis, armamentariis, munimentis, vallis, muris, turribus aliisque ædificiis publicis & privatis, atque omnibus dependentiis in dextra Rheni parte ſitis: iis, quæ in ſiniſtra Rheni parte ſunt, interque ea Fortalitio *le Mortier* dicto Regi Chriſtianisſimo relictis: omnia ad normam & ſub conditionibus Articuli vigeſimi dictæ Pacis Ryſvvicenſis menſe Octobri 1697. inter Imperatorem LEOPOLDVM inclytæ memoriæ & Regem Chriſtianisſimum concluſæ.

Articu-

Articulus V.

REddet quoque Sacra Regia Majestas Christianissima Sacræ Cæs. Majestati, & Serenissimæ Domui Austriacæ Urbem & Arcem Friburgensem, nec non Fortalitium Sancti Petri, Fortalitium item Stella nuncupatum, & quæcunque alia munimenta ibi aut alibi per sylvam Herciniam, vel reliquum Brisgoviæ Districtum erecta aut restaurata in statu quo nunc sunt, absque ulla demolitione aut deterioratione cum villis Lelen, Merzhausen & Kirchzarth, omnique jure cum Archivis, item omnibusque Scripturis & Documentis literariis tempore ultimæ occupationis repertis, sive ibi adhuc extent, sive aliorsum translata sint, jure Diœcesano aliisque Juribus & reditibus Episcopatus Constantiensis semper salvis.

Articulus VI.

REstituet pariter Sacræ Cæs. Majestati & Imperio Sacra Regia Majestas Christianissima munimentum Kehl â se exstructum in Dextra Rheni parte ad pontem Argentinensem situm, integrum cum omnibus Juribus & dependentiis. Munimentum verò de la Pile, cæteraque in ipso Rheno seu Rheni Insulis propè Argentinam jacentibus exstructa sumptibus Regis Christianissimi solo planè æquabuntur, â neutrâ parte posthâc reædificanda. Quæ conventæ restitutiones, ac destructiones locorum & munimentorum supradictorum post ratificationem hujus Tractatus termino Articulis sequentibus expresso executioni dabuntur. Fluminis autem navigatio, aliusve usus utriusque Partis subditis, aut qui aliàs illac commeare, navigare, aut merces transvehere volent, æquè patebit, nec quidquam ab alterutra Parte illic aut alibi unquam fiet, quo flumen divertatur, aut ejus cursus, seu navigatio, aliusve usus difficilior quâvis ratione reddatur, multò minùs nova Telo-

nia, portoria aut pedagia exigentur, aut vetera augebuntur, navêsque, quæ transeunt, ad unam magis quàm alteram Ripam appellere, aut onera seu merces exponere, vel recipere cogentur, sed id libero cujusque arbitrio relinqui semper debebit.

Articulus VII.

NOminata Loca, Urbes, Castra & Fortalitia, Brisacum, Friburgum, & Kehl reddentur Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio cum omni districtu, jurisdictione, appertinentiis & dependentiis, cum omnibus, item tempore postremæ occupationis ibi repertis tormentis apparatu & ammunitionibus bellicis, quæ ex inventariis exhibendis apparebunt, absque omni reservatione, exceptione, aut retentione, bona fide, & sine dilatione, impedimento, vel prætextu iis, qui post commutatas ratihabitionum tabulas, â Sacra Cæsarea Majestate sola, vel pro differentia Locorum â Sacra Cæsarea Majestate, & Imperio ad id constituti & specialiter Deputati fuerint, eâque de re Locorum evacuandorum Præfectis, Gubernatoribus aut officialibus Gallicis fidem fecerint, ita, ut dictæ Urbes, Arces, Fortalitia, & Loca cum omnibus prærogativis, utilitatibus, proventibus, & emolumentis, ac quibuscunque ibidem comprehensis in jus, possessionem actualem, & omnimodam potestatem ac superioritatem Sacræ Cæsareæ Majestatis, Imperii & Domûs Austriacæ redeant, quemadmodum antehâc ad ipsos spectârunt, & â Sacrâ Regiâ Majestate Christianissima hactenus possessa fuêre, nihilque omninò Juris aut prætensionis in Loca præfata, aut eorum districtus Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ, Coronæque Galliæ remansisse, aut reservatum fuisse intelligatur.

Nec quidquam porrò exigatur pro sumptibus & impensis in Munimenta aut alia ædificia publica vel privata insumptis, nec alia quacunque de causa retardetur restitutio plenaria intra trigin-

ta

ta dies â commutatis Pacis ratihabitionibus executioni demandanda, adeò, ut Præsidia Gallica inde protinùs abducantur, absque omni molestia, damno, vel gravamine Civibus & incolis aut aliis quibuscunque Sacræ Cæsareæ Majestatis, & Imperii subditis ex causa debitorum aut quarumlibet prætensionum inferendo.

Neque fas sit militiæ Gallicæ in Locis evacuandis, aut aliis quibusve ad Sacram Regiam Majestatem Christianissimam non spectantibus, ultra terminos infra præscriptos commorari, hyberna vel stationes figere, sed in proprias Coronæ Gallicæ ditiones illico abire teneantur.

Articulus VIII.

CUrabit Rex Christianissimus suis impensis solo æquari munimenta è Regione Hunningæ in Dextra ripa & Insulâ Rheni exstructa; similiter & qui illic est pontem Rheni fundo cum ædificiis Domui Badensi reddendo.

Destruentur eâdem ratione munimenta cúm Sellingense, tum alia in Insulis inter illud & Fortalitium Ludovicianum sitis facta, uti & Pontis pars, quæ ducit â Sellingensi ad Ludovicianum & quod è Regione Ludoviciani in dextra Rheni ripâ constructum est, â neutra parte deinceps reparanda, fundo pariter cum ædificiis Domui Badensi restituendo. Fortalitium Ludovicianum verò & Insula penes Regem Christianissimum permanebit.

Generaliter Sacra Regia Majestas Christianissima suis expensis destrui faciet, omnia cujuscunque generis Fortalitia, munimenta, fossas, propugnacula, valla, & pontes, sive eo fine in Tractatu Ryswicensi expressa, sive post illum à Regia sua Majestate Christianissima ad ripam Rheni vel in ipso Rheno aut alibi in Imperio seu terris ac Ditionibus ad Imperium quomodolibet spectantibus exstructa, quæ reparari non poterunt.

Articulus IX.

EVacuabit quoque Sacra Regia Majestas Christianissima Castrum Pitsch cum omnibus pertinentiis, uti & Castrum Homburg destructis priùs munimentis amplius non reparandis, ita tamen, ut ipsis Castris &, quæ illis juncta sunt, oppidis nullum damnum inferatur, sed ea omnia illæsa conserventur.

Articulus X.

TRiginta dierum spatio post commutatas hujus Tractatûs ratificationum tabulas tam civitates & Loca munita, quam universim omnia alia Loca, quæ secundùm hunc & Rastadiensem, adeoque & Rysvvicensem Tractatum, cujus omnes & singuli Articuli pro insertis in hoc Tractatu habentur, & proindè effectui dabuntur, ac si eorum tenor de verbo ad verbum repetitus fuisset, reddi debent, extradentur iis, qui ad hunc effectum â Sacra Cæs. Majestate & Imperio aut Principibus particularibus, aliisvè, qui ea secundum dictam Pacem Rysvvicensem possidere debent, plena potestate muniti erunt, absque demolitione munimentorum & fortificationum, aut destructione ædificiorum publicorum & particularium, & absque deterioratione Statûs, in quo nunc sunt, nequidquam pro impensis in ea aut eorum occasione factis petetur. Eodem pariter tempore reddentur omnia Archiva & literarum Documenta, quæ vel ad Sacram Cæsaream Majestatem vel ad Imperii Principes & Status, aut Civitates, & Loca, quæ Sacra Regia Majestas Christianissima restituere promittit, pertinent.

Articulus XI.

CUm Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ mens sit atque intentio, adimplere Tractatum hunc quantociùs id fieri poterit,

terit, Sua Regia Majestas promittit munimenta & loca à se demolienda majoris momenti ad summum spatio duorum Mensium, minoris verò momenti spatiò unius Mensis, utroque post commutatas ratificationum tabulas computando, Regiæ Suæ Majestatis impensis eo, quo condictum est, modo destructum soloque æquatum iri.

Articulus XII.

SAcra Regia Majestas Christianissima promittit non minus Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio se se restituturam omnibus Imperii membris Clientibus & Vasallis, Ecclesiasticis & Sæcularibus nominatim Domino Electori Trevirensi, Domino Electori Palatino, Domino Ordinis Teutonici magno Magistro, & Episcopo Wormatiensi, atque inclyto Ordini, Domino Episcopo Spirensi, Domui Wirtembergicæ, & Sigillatim Domino Duci Mompelgardensi, utrique Domui Badensi, & generaliter omnibus pace Rysvvicensi comprehensis, liceat hi speciatim expressi non fuerint quæcunque Territoria, Civitates, Loca & bona, quæ proximè præterito bello aut ejus occasione, sive armis, sive confiscatione aut alio quocunq; modo Paci Rysvvicensi contrario occupaverit, quamvis hoc Tractatu nominata non sint, uti & plenariè & accuratè executarum omnes conditiones & Clausulas Pacis Rysvvicensis, quibus per præsentem Tractatum expresse derogatum non est, siquæ post conclusam dictam Pacem Rysvvicensem executione caruerint vel postea mutata fuerint. Spondet eâdem ratione Sacra Regia Majestas Christianissima quantocyùs bona fide executioni mandaturam omnes & singulos Pacis Rysvvicensis Articulos Dominum Ducem Lotharingiæ concernentes, quibus hic plenarium robur suum confirmatur.

Vicissim Sacra Cæsarea Majestas & Imperium promittunt omnes Conditiones & Clausulas Pacis Rysvvicensis, quæ ad istas

resti-

restitutiones ex eadem Pace faciendas nominatim ad Dominum Cardinalem de Rhohan ratione Episcopatûs Argentoratensis spectant, impletum iri.

Articulus XIII.

COllatam quoque à Sacra Cæs. Majestate cum Sacri Romani Imperii Consensu Domui Brunsvvico-Hannoveranæ Electoralem dignitatem Rex Christianissimus, & per præcedentem Tractatum agnovit & imposterum agnoscet.

Articulus XIV.

VIcissim Sacra Cæs. Majestas atque Imperium testari cupientes pronum suum erga Sacram Regiam Majestatem Christianissimam colendæque cum Illa imposterum amicitiæ concordiæque sinceræ atque semper duraturæ affectum, ut & vigore Pacis Rysvvicensis hoc in Tractatu restauratæ consentiunt ut Landavia urbs cum suis dependentiis, quæ in pagis Nussdorff, Danheimb, & Queicheim, eorumque bannis consistunt, pro ut iis Rex Christianissimus ante bellum fruitus fuit, munita penes Sacram Majestatem Christianissimam maneat.

Articulus XV.

DOmum Bavaricam quod concernit, tranquillitatis publicæ universim restabiliendæ gratiâ, annuit Sacra Cæs. Majestas & Imperium, ut virtute hujus Pacis Dominus Josephus Clemens Archi-Episcopus Coloniensis, & Dominus Maximilianus Emanuel à Bavaria generaliter & integrè restituantur in omnes Ditiones, gradus honorum, prærogativas, regalia, bona, dignitates Electora-

ctorales, aliasque, ut & in omnia Jura, quibus ante præteritum bellum fruiti sunt vel frui potuerunt, & quæ ad eundem Archi-Episcopatum Coloniensem cæterasque Ecclesias mox nominandas, aut Domum Bavaricam mediatè vel immediatè pertinuerunt.

Reddentur quoque utrisque bona fide archiva, Documenta literaria, omnia supellectilia, Gallicè *meubles*, lapides pretiosi, gemmæ aliæque cujuscunque generis res, sicut & tormenta, apparatus & ammunitiones bellicæ in Inventariis fide dignis utrinque producendis enumeratæ; Illæ omnes nimirum, quæ ex illorum Palatiis, arcibus, urbibus, munimentis & quibuscunque aliis locis restituendis post Bavariæ occupationem Sacræ Cæsareæ Majestatis ejusque inclytæ memoriæ Antecessorum mandato ablatæ fuerunt, exceptis illis Machinis bellicis, quæ ad vicinos status aut urbes pertinebant, iisque restitutæ sunt, atque pro deficientibus vel in aliam formam commutatis aut difficulter conquirendis cæteris rebus sic ablatis, quæ aliàs restituendæ forent, æquum pretium paratâ pecuniâ solvatur aut de iis aliter conveniatur. Restituetur quoque Dominus Archi-Episcopus Coloniensis in suum Archi-Episcopatum Coloniensem, Episcopatum Ratisbonensem, Leodiensem & in Præposituram Berchtolsgadensem, capiet etiam speciatim possessionem Episcopatûs Hildesiensis, cum omnibus prærogativis, Juribus & bonis ad dictum Episcopatum & Ecclesiam spectantibus uti ea ante præteritum bellum Episcopi sui prædecessores & Ecclesia possederunt, aut possidere debuerunt; ita ut nulla litis aut prætensionis ratio, à quocunque mota aut movenda, integram ejus restitutionem impedire possit, salvo tamen manente Jure, quod aliis competere poterit, via judiciaria in competentibus Imperii Tribunalibus persequendum, postquam ambo Electores actu restituti fuerint, salvis etiam & illæsis manentibus Capitulorum, & Statuum Archi-Episcopatûs Coloniensis & reliquarum Ecclesiarum Privilegiis uti per uniones, Tractatus &

Constitutiones stabilita sunt. Præterea ratione Urbis Bonnæ conventum est, ut tempore Pacis nullum illi præsidium militare imponatur, sed ejus custodia solis civibus committatur, de necessario verò militum Prætorianorum ad custodiam corporis, & Palatii Archi Episcopalis destinandorum numero cum Sacrâ Cæsareâ Majestate & Imperio transigatur; tempore verò belli aut ingruente ejus periculo integrum sit Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio, urbi huic tantum præsidii imponere, quantum ratio belli requisiverit, idque secundum leges & constitutiones Imperii.

Per hanc plenariam restitutionem præfati duo Domini fratres è Domo Bavaricâ oriundi renuntiare tenebuntur in perpetuum omnibus prætensionibus, satisfactionibus & quorumlibet damnorum reparationibus, quas propter hoc ultimum bellum à Sacra Cæsarea Majestate Imperio & Domo Austriaca petere vellent, eæque adeò universæ, & singulæ jam nunc pro abolitis haberi debent, cassæque inanes & nullæ sunt & semper manebunt; quâ nihilominus renunciatione nullo modo derogatum erit antiquis prætensionibus vel Juribus, quæ ante hoc ultimum bellum habere potuerunt, eaque per Juris tramitem in Imperio receptum persequi fas erit, ita tamen, ut illis nullum jus novum adversus quemcunque per hanc integram restitutionem tribuatur. Similiter etiam contra dictos Dominos Josephum Clementem Archi-Episcopum Coloniensem, & Maximilianum Emanuelem cessabunt & abolebuntur, ac pro jam abolitis, cassis, & nullis reputabuntur, nullæque inanes & cassæ erunt, ac sunt omnes prætensiones, satisfactiones & indemnitatis petitiones propter hoc bellum contra Domum Bavaricam & supra nominatos Archi-Episcopatum, Episcopatus & Præposituram à quibuscunque motæ aut movendæ. Vi hujus totalis restitutionis præfati Domini Josephus Clemens Archi Episcopus Coloniensis, & Maximilianus Emanuel à Bavaria obedientiam præstabunt Sacræ Cæsareæ Majestati, uti cæteri Imperii Electores ac Principes & in fidelitate perseverabunt, tenebun-

bunturque petere & accipere renovationem investiturarum suorum Electoratuum, Principatuum, Feudorum, Titulorum & Jurium, modo & tempore per Imperii leges perscriptis, omniaque quæ durante hoc bello hinc inde contigerunt, æternâ manebunt oblivione extincta.

Articulus XVI.

MInistri & officiales tam Ecclesiastici quàm Militares, politici & civiles cujuslibet conditionis sint, qui uni alterivè parti servierunt, etiam illi, qui subditi & vasalli Sacræ Cæsareæ Majestatis Imperii & Domûs Austriacæ sunt, omnes quoque Domus Bavaricæ & Domini Archi-Episcopi Coloniensis Domestici restituentur similiter in possessionem omnium bonorum, officiorum, honorum, & dignitatum, quibus ante bellum gavisi sunt, fruenturque generali amnestiâ omnium illorum, quæ belli occasione patrata sunt; sub ea expressa conditione, ut ejusdem amnestiæ fructus, sicut esse debet reciprocus, ad illos etiam pertineat Bavariæ, & Domini Archi-Episcopi subditos, Vasallos, Ministros, aut Domesticos, qui hoc bello partes Sacræ Cæsareæ Majestatis, Imperii & Domûs Austriacæ secuti sunt, nec ea de causa illis quicquam molestiæ aut incommodi unquam inferatur.

Articulus XVII.

TEmporis ratione, intra quod restitutio integra præcedentibus duobus articulis contenta fieri debebit, iidem statuti triginta dies sunt post commutatas Ratihabitiones proximi, qui de locis Sacræ Cæsareæ Majestati & Imperio à Sacra Regia Majestate Christianissima restituendis supra definiti fuerunt; ita ut ambæ utrinque restitutiones, sicut & restitutio partis, quam Domus Bavarica nunc in Belgio possidet, & Sacræ Cæsareæ Majestati reddere tenetur, eodem pariter tempore perficiantur.

Articulus XVIII.

SI Domus Bavarica à ſua integra reſtitutione aliquam ſtatuum ſuorum cum aliis permutationem rebus ſuis convenire autumaret, Ei tum Sacra Regia Majeſtas Chriſtianiſſima nihil obſtaculi injiciet.

Articulus XIX.

CUm Sacra Regia Majeſtas Chriſtianiſſima Statibus Generalibus fœderati Belgii, loco, & in commodum Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ poſſidendum conceſſiſſet, ſeu concedi feciſſet, quidquid Sacra Regia Majeſtas, ipſiusve fœderati adhuc poſſidebant in Belgio vulgo Hiſpanico appellato, prout id quondam Rex Carolus Secundus poſſederat, vel virtute Pacis Ryſvvicenſis poſſidere poterat, eadem Sacra Regia Majeſtas conſentit, ut Sac. Cæſ. Majeſtas poſſeſſionem ingrediatur, hujus Belgii Hiſpanici, eo deinceps & in perpetuum plenè & quietè fruitura ipſa, illiusque hæredes & ſucceſſores, juxta ſucceſſionis ordinem in Domo Auſtriacâ receptum, ſalvâ, quam Imperator cum iisdem Statibus Generalibus de eorum Repagulo (vulgò *Barriere*) dictorumque locorum redditione initurus eſt conventione.

Retinebit nihilominus Rex Boruſſiæ ex ſuperiori Tetrarchia Geldriæ, quidquid illic actu poſſidet; nimirum, urbem Geldram, Præfecturamque Balliviam & Balliviam inferiorem Geldrenſem, cum omnibus pertinentiis & dependentiis, uti & urbes, Præfecturas, & Dynaſtias: Stralam, Wachtendoncam, Midelaram, Walbecam, Aretſeniam, Afferteniam, & Weelam, pariter quoque Racym, & minorem Kevelaaram, cum omnibus pertinentiis & dependentiis: Tradetur præterea dicto Boruſſiæ Regi Præfectura pagana vulgo Ammania, Krichenbecana cum omnibus,

quæ

quæ eo pertinent, indeque dependent: Præfectura item seu Ditio Castellensis sive Kesselana similiter cum pertinentiis & dependentiis, & generaliter omnia dicta Præfectura & districtu contenta, sine ulla exceptione, nisi solius Civitatis Herculani, seu Erckelæ cum pertinentiis & dependentiis, ita ut omnia pertineant ad dictum Regem, Principesque utriusque sexus, Ipsius hæredes & successores, cum omnibus Juribus prærogativis, proventibus, commodis, cujuscunque generis, aut nominis, eâdem qualitate, & ratione, quâ Domus Austriaca & præsertim Rex quondam Hispaniarum CAROLUS secundus ea possedit, eum oneribus tamen & hypothecis conservandaque perpetuò juxta eum, qui sub eodem Rege CAROLO fuerat, Statum Religione Catholica Apostolica-Romana & Privilegiis Statuum illæsis.

Articulus XX.

CUmque præter Provincias, Urbes, Loca, & munimenta possessa à quondam Hispaniarum Rege Carolo II. sui decessûs tempore, Rex Christianissimus pro se, & Principibus suis hæredibus & successoribus natis & nascituris cesserit Statibus Generalibus, vice & in utilitatem Domûs Austriacæ omne Jus, quod habuit, aut habere posset in & super urbem Menenam, seu Meninam, cum omnibus munimentis & Præfectura, aliàs Vergè appellata, præterea super & in urbem & arcem Tornacensem cum omni Ditione Tornacensi, nullo super eam, ullasve dependentias, pertinentias, annexa, Territoria & inclusa Jure reservato, Sacra Majestas Christianissima consentit, ut Status Generales unitarum Provinciarum reddant dictas Urbes, Loca Territoria, Dependentias, Pertinentias, annexa, & inclusa, Sacræ Cæsareæ Majestati statim atque illa cum Statibus Generalibus, uti artic. præcedenti decimo nono dictum est, convenerit, fruturæ ipsi, illiusque hæredibus, & Successoribus plenè, pacatè & perpetuò non secus ac Belgio Hispanico quoad quondam

Hiſpaniarum Regem CAROLVM ſecundum die obitûs Sui ſpectavit: Eâ tamen mente, ut iſthæc redditio Belgii Hiſpanici, urbiumque, Locorum, & Munimentorum à Rege Chriſtianiſſimo ceſſorum, à Statibus Generalibus non ante fieri poſſit, quam Ratihabitiones Pacis inter Sacram Cæſaream Majeſtatem, Imperium, & Sacram Regiam Majeſtatem Chriſtianiſſimam commutatæ fuerint, eo præterea ſenſu, ut Fanum Divi Amandi cum ſuis dependentiis & Mortania ſine dependentiis penes Sacram Majeſtatem Chriſtianiſſimam permaneant, ſub ea nihilominus conditione, ne illic loci aliquod cujuscumque generis munimentum aut Cataractam ſeu obicem conſtruere ullatenus fas, aut permiſſum ſit.

Articulus XXI.

COnfirmat pariter Rex Chriſtianiſſimus in commodum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis & Domûs Auſtriacæ ceſſionem, quam eodem modo & fine fecit Statibus Generalibus pro ſe & Principibus ſuis hæredibus & ſucceſſoribus natis & naſcituris omnium Jurium, in & ſuper Furnas & Præfecturam Furnenſem, communiter Furnambacht dictam, comprehenſis octo Parochiis & Fortalitio Knockiano, in & ſuper Loam & Dixmudam cum dependentiis: in & ſuper Vrbem Ipras & Caſtellaniam Iprenſem, comprehenſa Roſſellara, & cum reliquis dependentiis, quæ impoſterùm erunt Popperinga, Wartena, flandricè Varneton, Communium, Viroviacum, patriâ linguâ Warwick, quatenus ſcilicet hæc tria loca ſita ſunt ex latere Liſæ, verſus Ipras ſpectante, & quicquid à Locis ſupra expreſſis dependet, ex quibus juribus ſic Sacræ Cæſareæ Majeſtati Ejusque hæredibus, & ſucceſſoribus ceſſis, Sacra Regia Majeſtas Chriſtianiſſima nihil ſibi reſervat Juris, neque in ſeu ſuper dictas urbes, Loca, munimenta & Provincias, neque in ſeu ſuper earum pertinentias, dependentias annexa aut incluſa, conſentiens, ut Status Generales ea omnia redhibeant Domui Auſtriacæ fruituræ deinceps

ceps irrevocabiliter, & in perpetuum illicò postquam ratione repaguli sui vulgò Barriere, cum Sacrâ Cæsarea Majestate convenerint, & ratihabitiones Pacis inter Ipsam, Imperium & Sacram Majestatem Christianissimam commutatæ fuerint.

Articulus XXII.

NAvigatio Lisæ ab Ostio Diliæ adverso flumine libera manebit; nec ullum illic vectigal aut aliud quid oneris imponere licitum erit.

Articulus XXIII.

QUæ Articulo secundo hujus Tractatus de Amnestia in genere cauta sunt, hic speciatim repetita censeantur, atque adeò reciprocè oblivioni dentur omnes injuriæ & offensiones verbis, & factis præterito bello quocunque modo per subditos Belgii Hispanici & Civitatum ac locorum restitutorum, aut cessorum, aliosque Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ subditos vicissim illatæ, ita ut nemo eam ob causam conveniri aut quâvis aliâ ratione inquietari possit, aut debeat.

Articulus XXIV.

HUjus Pacis vigore poterunt utrinque Majestatis Christianissimæ ac Provinciarum Belgii, Locorumque per Sacram Regiam Majestatem Christianissimam cessorum subditi, observatis Regionum seu locorum legibus, consuetudinibus & usibus ire, venire, manere, redire, tractare & commercari justo mercatorum more, porrò & vendere, permutare, alienare, aut alio modo administrare, bona, res mobiles & immobiles, quas apud alterutram partem habent, aut habebunt, omnesque sive subditi sint, sive alii, ea emere poterunt nullo alio Privilegio aut permissu præter præsen-

ſentem Tractatum requiſito: Subditis etiam Locorum ac Territoriorum hinc inde ceſſorum aut reſtitutorum uti & ſubditis dicti Belgii Hiſpanici non minus liberum erit intra unius anni ſpacium habitationem transferre quocunque Ipſis viſum fuerit, plenâ facultate conceſſâ vendendi quibuscunque placuerit, bona ſua mobilia & immobilia aut aliter de illis disponendi ante, & poſt ipſorum diſceſſum absque ullo impedimento directo vel indirecto.

Poſtremò pro confirmatis ſingulariter habebuntur, & perpetuò obſervabuntur, quæcunque de abolito viciſſim ratione Gallicorum, & Belgicorum ſubditorum Albinii ſeu Albinagii jure, prioribus Pacificationibus, Regiisque Decretis, ſeu edictis Statuta & Juga utrinque uſu hactenus recepta fuerunt, non ſecus ac ſi expreſsè integra hìc relata eſſent.

Articulus XXV.

IDem quoque utriusque partis Vaſalli & ſubditi Eccleſiaſtici & Sæculares, Corpora, Communitates, Univerſitates & Collegia, honoribus, dignitatibus, & beneficiis, quibus ante bellum gaudebant, uti & in omnia & ſingula Jura, bona mobilia & immobilia, cenſus quoque ſeu reditus tempore & occaſione præteriti belli occupatos, ſeu detentos unà cum juribus, actionibus & ſucceſſionibus, quæ ipſis durante bello evenerint, hinc inde ubique reſtituentur: Ita tamen ut nihil ratione fructuum ſeu proventuum perceptorum, & tempore præteriti belli, usque ad diem Publicationis Tractatus Raſtadienſis ceſſorum petere poſſint, non obſtantibus ullis Donationibus, conceſſionibus, declarationibus, confiſcationibus, ſententiis in contumaciam latis, partibus non auditis, quæ nullæ erunt & perinde habebuntur, ac ſi judicatæ ac pronunciatæ non eſſent, plena libertate & integra manente, iis omnibus in patriam Regionesve redeundi, è quibus occaſione belli exiêrunt, utque bonis & reditibus ſuis ſecundum Regionum, locorum & Statuum

leges

leges & consuetudines, vel ipsi vel per Procuratores frui possint.

Restitutiones hæ ad eos quoquè extendentur, qui hoc bello vel ejus occasione ad unas vel alteras nunc paciscentium Partes conversi, easque secuti fuêre. Aliæ nihilominus Sententiæ, resque in Summis Tribunalibus vulgò Parlaments, Dicasteriis & aliis Curiis Superioribus vel Inferioribus Judicatæ, quibus per præsentem Tractatum expressé derogatum non est, locum habebunt plenumque effectum sortientur; Illi quoque, qui virtute dictarum Sententiarum Rerumque Judicatarum in possessione terrarum, Dominiorum aliorumque bonorum erunt, in iis manutenebuntur: absque præjudicio tamen eorum, qui per dictas sententias, & res judicatas se læsos credunt, qui per viam ordinariam & coram judice competente prospicere sibi poterunt.

Articulus XXVI.

DE reditibus seu Censibus à tota aliquâ Belgii Provincia pensitandis, quæ deinceps partim à Majestate Cæsareâ, partim à Majestate Christianissima aut aliis possidebitur, convenit, ut quælibet Pars suam ratam portionem solvat, utque ad eam determinandam juxta, & ad quascunque alias controversias seu difficultates tollendas quæ circa Loca Belgica utrimquè possidenda, eorumve limites vel jam ortæ sunt, vel in executione hujus Pacis quâlibet ratione oriri possint, ab utrâque Parte Commissarii in Urbem, de quâ convenerit, intra duos post Tractatûs hujus Conclusionem Menses delegentur, omnem ei fini quàmprimùm assequendo diligentiam absque intermissione adhibituri.

Articulus XXVII.

CUm in Territoriis, Civitatibus & Locis Belgii, quæ Rex Christianissimus Imperatori cedit, plura beneficia Ecclesia-

 stica,

ſtica â Sacrâ Majeſtate Chriſtianiſſima collata fuerint Perſonis capacibus, ea Modernis poſſeſſoribus relinquentur; Sicut & omnia, quæ Religionem Catholicam Apoſtolicam Romanam concernunt; in ſtatu, quo ante bellum fuerant, immutata cuſtodientur: Magiſtratus etiam non niſi Catholici eſſe poterunt, & ut antea fuêre, permanebunt.

Epiſcopi inprimis & Capitula, Monaſteria, bona Ordinis Melitenſis, & Generaliter univerſus Clerus conſervabuntur in omnibus Eccleſiis, Libertatibus, Immunitatibus, Juribus, Prærogativis & Honoribus, quæ ſub præcedentibus Regibus Romano-Catholicis habuêre, & ſi quâvis ratione deſtituti fuerint, in ea reſtituentur. Omnes deniquè & ſinguli dictorum Clericorum bona Eccleſiaſtica, Commendas, Canonicatus, Perſonatus, Præpoſituras & alia beneficia qualiacunque poſſidentes, ea retinebunt, nec iis privari poterunt, percipientquè reditus indè provenientes cum facultate ea adminiſtrandi, & illis ut ante præteritum bellum fruendi. Fruentur æquè Penſionarii, ſicut antea fruiti ſunt, penſionibus ſibi ſuper beneficia aſſignatis, ſive in Curiâ Romanâ obtentæ, vel per Breve ante præteritum bellum expeditæ fuerint, ita, ut iis ſub nulla Cauſa vel prætextu privari poſſint.

Articulus XXVIII.

COmmunitates, & Incolæ omnium Civitatum, Locorum, & Regionum, quæ Sacra Majeſtas Chriſtianiſſima in Belgio per præſentem Tractatum ceſſit, conſervabuntur & defendentur in poſſeſſione omnium Privilegiorum, Prærogativarum, Conſuetudinum, Exemptionum, Jurium, Conceſſionum, communium & particularium, munerum & officiorum hæreditariorum, cum omni honore, ſtipendiis, emolumentis, & exemptionibus, quæ ſub Dominatione Majeſtatis ſuæ Chriſtianiſſimæ habuerunt. Hoc tamen ſolum intelligi debet de communitatibus & incolis, Locorum,

rum, Civitatum & Territorium, quæ Majestas sua immediatè post conclusionem Tractatus Ryswicensis possedit, & non de Locis, Civitatibus & Territoriis, quæ quondam Rex Carolus secundus Hispaniarum tempore obitûs sui tenuit: quorum Communitates & Incolæ in possessione Privilegiorum, Prærogativarum, Consuetudinum, Exemptionum, Jurium, Concessionum communium & particularium, munerum & officiorum hæreditariorum permanebunt; ut ea tempore mortis dicti Hispaniarum Regis habuère.

Articulus XXIX.

SImiliter si extra Belgii loca â Sacra Regia Majestate Christianissima cessa, de quibus supra Articulo XXVII. cautum est, aliqua beneficia Ecclesiastica mediata vel immediata durante hoc bello ab una alterâve Parte in terris seu locis sibi tunc subjectis juxta primævæ institutionis ac generalium vel particularium de iis factorum statutorum legitimorum normam aut aliam quamvis â Summo Pontifice, aut alio modo canonicè factam dispositionem & provisionem capacibus collata fuerint, ea non minùs atque illa beneficia Ecclesiastica, quæ ante præteritum bellum in locis ex hâc Pace restituendis tali modo collata fuerunt, præsentibus possessoribus relinquantur, ita, ut nec in illorum possessione vel legitima administratione nec in fructuum perceptione â quocunquè turbari, aut impediri, vel eorum nomine, seu causa præterita aut præsenti in jus vocari, conveniri aut quâvis ratione inquietari seu molestari unquam possint, aut debeant, ut tamen ea præstent, quæ sibi ratione illorum beneficiorum incumbunt.

Articulus XXX.

SAcra Cæsarea Majestas, & Sacra Regia Majestas Christianissima non poterunt ex quacunquè Causa Pacem per præsentem

Tractatum firmatam imposterum interrumpere, arma resumere, ullumve actum hostilitatis sub quocunque prætextu committere: omni studio potiùs, & bona fide ut veri amici mutuam hanc amicitiam, & concordiam Rei Christianæ adeò necessariam firmiorem reddere allaborabunt: & cum Sacra Regia Majestas Christianissima Sacræ Cæsareæ Majestati sincerè reconciliata nolit ipsam ullatenus turbare aut illi quodlibet præjudicium creare, Majestas sua Christianissima promittit & sese obstringit, quod suam Cæsaream Majestatem relinquet in tranquilla & pacifica possessione omnium Statuum, & Locorum, quæ in Italia modo tenet, & quæ antea â Regibus Domûs Austriacæ possessa erant; videlicet Regni Neapolitani, ut id Sacra Cæsarea Majestas possidet, Ducatûs similiter Mediolanensis, ut Eum Majestas sua Cæsarea actu possidet: Regni insuper & Insulæ Sardiniæ, nec non Portuum ac locorum ad Hetruriæ littora sitorum, quæ Majestas Cæsarea nunc possidet, & quæ antea per Reges Hispaniæ Domûs Austriacæ possessa fuerunt, cum omni Jure, quod dictis Statibus Italiæ â Sacra Cæsarea Majestate possessis adhæret, quodque Reges Hispaniæ â Philippo I. usqve ad Regem ultimò defunctum exercuêre. Promittit etiam Sacra Majestas Christianissima verbo Regio, quod Imperatorem & Domum Austriacam in hâc possessione neque directè neque indirectè unquam turbare, aut sub quocunque prætextu vel quocunque modo inquietare velit, nec possessionem ullatenus impedire, quam sua Sacra Cæsarea Majestas & Domus Austriaca habet, aut imposterum per negotiationem Tractatum aut aliam viam legitimam & pacificam acquirere poterit; itr tamen, ut neutralitas Italiæ non turbetur.

Vicissim Sacra Cæsarea Majestas verbo Cæsareo pollicetur, & sese obstringit, quod eandem neutralitatem & quietem Italiæ turbare nolit & consequenter nec armorum viam pro quacunque re & qvacunqve occasione adhibere, sed è contrario religiosè implere, promissa in Tractatu Neutralitatis Trajecti ad Rhenum die Decimâ quartâ Martii Anno MDCCXIII. facta, qui Tractatus hic

pro

pro repetito habebitur, & per Majestatem suam Cæsaream exactè observabitur, dum & altera pars idem faciat, neque Sacram Cæsaream Majestatem aggrediatur; Ad eundem finem recepit Sacra Cæsarea Majestas, quod relinquere velit omnes Principes in Italia in tranquilla possessione Statuum, quæ modo possident; ea semper intelligenda necessaria Conditione, ne id Juribus cujuscunque obesse aut præjudicare quâvis ratione possit.

Articulus XXXI.

UT tantò magis Principes & Staus Italiæ fructibus Pacis Imperatorem inter & Regem Christianissimum initæ gaudere possint, non solùm ut Articulus præcedens complectitur, Neutralitas exactè ibidem observabitur, sed etiam â Sacrâ Cæsareâ Majestate bona & prompta justitia administrabitur Imperii Principibus, & Vasallis, ob cæteras Ditiones & Loca Italiæ â Regibus Hispaniæ ê Domo Austriaca oriundis non possessa, & in quæ dicti Principes legitimam quandam prætensionem seu actionem habere possent, scilicet Duci Guastallæ, Pico Mirandolensi, & Principi Castilionensi, sic tamen, ne hôc Pacem & Neutralitatem Italiæ labefactare aut occasionem novo bello dare possit.

Articulus XXXII.

CUm Sacræ Cæsareæ Majestati & Sacræ Regiæ Majestati Christianissimæ nihil magis cordi sit, quàm ut publica tranquillitas quantocyus stabiliatur, & ad finem tam salutarem, qui omnem aliam rationem superare debet, promptiùs assequendum, certum Tractatui huic perficiendo terminum præfixissent, jam verò compertum sit, quod terminus iste ad examinandas & complexandas res per Articulum XXXII. Pacis Rastadiensis ad hunc congressum mutuò remissas nequaquam sufficere possit, ulteriùs convenit,

 quod

quod partibus in dicto Articulo nominatis, fas erit, Titulos, Rationes, Juraque Sua ante Sacram Cæsaream Majestatem & Sacram Regiam Majestatem Christianissimam suo quæque loco producere. Eæquè denuò promittunt illorum se rationes habituras esse, uti æquum fuerit.

Quæ tamen mora plenariam Pacis executionem nec differre vel immutare, aut ullius Juri quicquam Præjudicii afferre poterit, aut debebit.

Articulus XXXIII.

QUemadmodum vigore Pacis Rastadiensis cujuscunquè Generis hostilitates ac violentiæ â subscriptæ Pacis tempore contributiones verò & exactiones quæcunquè tam pecuniæ quàm pabuli à die commutatarum ejusdem Pacis Ratificationum non minùs ac alia cujuscunque generis impositiones occasione proximè præteriti belli, cùm ex parte Sacræ Cæsareæ Majestatis, tum Sacræ Regiæ Majestatis Christianissimæ factæ penitùs cessare debuêre, ita etiam omnia ea imposterum non solum cessent & nulla ex causa vel prætextu quidquam exigatur, verùm etiam quæcunque exactiones pecuniæ, pabuli, aut alterius cujuscunque rei sub quocunque prætextu ab alterutrius Partis subditis, â die ratihabitæ Pacis Rastadiensis contra ejusdem Tractatus Articuli XXXV. expressum tenorem factæ fuêre, ea omnia bona fide & absque morâ iis, qui sufficientibus Documentis hâc de re fidem fecerint, restituantur, obsidesque illa aut alia quacunque ex causâ dati vel abducti absque ære protinùs reddantur, libereque in patriam dimittantur.

Quod verò de contributionibus ab alterutra parte usque ad statutum in Tractatu Rastadiensi tempus residuum debebitur, id intra spatium trium Mensium à die commutatarum Ratificationum præsentis Tractatûs computandum exsolvetur, ita tamen, ut intra istud spatium fas non sit contra morosos debitores viâ executionis uti, dummodo de solutione cautio sufficiens data sit.

Capti-

Captivi quoque tam militares, quàm ſtatus præterito bello facti qui necdum libertati reſtituti deprehendentur aut indicabuntur, hinc indè quantocyus absque lytro dimittantur, libertate relictâ ſe quocunque velint, recipiendi.

Copiæ militares quoque, quæ virtute præfati Articuli trigeſimi quinti quindecim dies poſt ratihabitam Raſtadii concluſam Pacem è locis non munitis in utriusque partis proprias Ditiones deduci debuêre, ſi quædam præter ſpem necdum deductæ forent, protinus & absque ulteriori morâ abducantur, ut eò citius omnes & ſinguli utriusque Partis Incolæ fructibus Pacis & quietis reaptè gaudere posſint; quemadmodum & Sacra Cæſarea Majeſtas & Imperium Copias ſuas è locis non munitis Archi-Epiſcopatûs Coloniensis, & Bavariæ educere debuerunt, & ſi quæ forſan reſtarent, eas quantocius educi curabunt. Quarum Provinciarum præterea & locorum reſtitutio juxta formam & tempus in Articulis decimo quinto, decimo ſexto, decimo ſeptimo, & decimo octavo præſcriptum, limitata maneto.

Articulus XXXIV.

REdeant quoque mox à ſubſcripta Pace commercia inter Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Imperiique, & Sacræ Regiæ Majeſtatis Chriſtianiſſimæ, Regnique Galliæ ſubditos durante bello prohibita, in eam quæ ante bellum fuit, libertatem, fruanturque utrinque omnes, & ſinguli, nominatim Urbium Imperalium, & Emporiorum Hanſeaticorum, cives & incolæ terrâ marique pleniſſimâ ſecuritate, priſtinis Juribus, immunitatibus, Privilegiis & emolumentis per ſolennes Tractatus, aut vetuſtam conſuetudinem obtentis, ulteriore conventione poſt ratihabitam Pacem remiſsâ.

Arti-

Articulus XXXV.

OMnia per hanc Pacem conventa valeant, ac perpetua firmitate nitantur, obſerventurque & executioni mandentur non obſtantibus, ſed abrogatis & caſſatis omnibus, quæ contraria credi, allegari aut excogitari unquam poſſint, etſi talia ſint, ut eorum ſpecialior ſeu amplior mentio fieri debeat, aut abrogatio ſeu annullatio nulla, ſeu invalida dici poſſe videatur.

Articulus XXXVI.

INcludentur huic Paci omnes illi, qui poſt permutationem ratihabitionum intra ſex menſes ab unâ vel altera parte ex communi conſenſu nominabuntur.

Articulus XXXVII.

PAcem hoc modo concluſam promittunt utriusque partis legati Extraordinarii, & Plenipotentiarii reſpectivè ab Imperatore & Imperio & Rege Chriſtianiſſimo ad formam hic mutuò placitam ratihabitum iri, ſeque infallibiliter præſtituros, ut ſolemnia Ratihabitionum Inſtrumenta intra ſpatium ſex ſeptimanarum á die ſubſcriptionis computandum, aut citiùs, ſi id fieri poterit, hìc reciprocè ritèque commutentur.

Articulus XXXVIII.

ET cum Sacra Cæſarea Majeſtas ab Electoribus, Principibus, & Statibus Imperii vigore concluſi die vigeſimâ tertiâ Aprilis anni currentis Legatis Gallicis ſub Sigillo Cancellariæ Moguntinæ extraditi decenter requiſita fuerit, ut dictorum Electorum,

Prin-

Principum, & Statuum Imperii Romani per Suam Cæsaream legationem in hoc congressu agi curaret, tam Cæsarei, quam Regii Legati nominibus supradictis præsens Pacis Instrumentum, in omnium, & singulorum eo contentorum fidem majusque robur, subscriptionibus, sigillisque propriis muniêrunt, & competentes Ratificationes formulâ conventâ, termino supra constituto sese extradituros polliciti sunt. Nec ulla contra hunc Tractatum recipiatur, aut valeat protestatio vel contradictio. Acta hæc sunt Badæ Ergoviæ Die septimâ Mensis Septembris Anno Domini Millesimo Septingentesimo Decimo Quarto.

(L.S.) *Eugenius à Sabaudia.*
(L.S.) *Marechal Duc de Villars.*
(L.S.) *Pet. Comes à Goes.*
(L.S.) *Comes du Luc.*
(L.S.) *Frid. Comes à Seileren.*
(L.S.) *Comes St. Contest.*

Articulus separatus.

QUum Titulorum aliqui, quibus Sacra Cæsarea Majestas sive in Plenipotentiis, sive in Proemio Tractatûs hodie subscribendi utitur, per Sacram Regiam Majestatem Christianissimam

agnoſci haud poſſint, per hunc Articulum ſeparatum & ante Tractatum ſubſcriptum conventum eſt, ne Tituli hoc aut Raſtadienſi Tractatu adhibiti aut omiſſi, ab una & altera Parte ullum jus tribuere vel uni alterive contrahentium Parti ullum præjudicium inferre unquam cenſeantur:

Hujusque Articuli idem vigor erit, ac ſi de verbo ad verbum Pacis hujus Tractatui inſertus foret.

Actum eſt Badæ Ergoviæ die ſeptimâ Menſis Septembris Anno Milleſimo ſeptingenteſimo decimo quarto.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf





Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf